

Petrus Tomicki episcopus, vicecancellarius, Petro Kmite de Wisniece castellano Voinicensi mareschalco curie regie, Iepusiensi, Colensi et Premisliensi capitaneo.

157

Magnifice domine amice et affinis charissime ac honorandissime. Legi et libenter et diligenter vestre magnificentie literas, quibus mihi ea significavit, que sub hoc adventu maiestatis regie isthic acta sunt, quidve agatur, et quid denique expectandum sit, vel timendum potius in hac tanta nostrorum hominum licentia, qua subnixi legem sibi quisque, ut libet cuique, prescribit, omni cogitatione futurorum eventuum posthabita, ad quos non solum oculorum, sed animi potius vires convertenda sunt, ut possimus in tanto rerum discrimine rebus nostris ita prospicere, ne ꝑ quod Deus nomen avertat, succumbere cogamur, cum non unius, sed plurimum potentissimorum hostium vires imminere cervicibus nostris videamus.

De his autem rebus coram Deo benevolente latius et melius conferemus.

Posteaquam perlegi vestre magnificentie literas, allatae sunt mox ad me alie ad reginalem maiestatem scriptae,

ca quibus id, quod Voiewoda Moldaviae
de Turcis et Tartaris perscripsit, probe
cognovi. Et cum in hac nostrorum tur-
multuatione, nihil sit quod commendare
possimus, multa sunt valde improbanda
ea adverso. Suscepta est quidem ista
ipsa expeditio ad obsistendum hostibus,
qui sub nostra proxima etatis ignavia,
magnam partem regni ferro et igne va-
stando, vires nostras labefactarunt. Quid
igitur sperandum est nobis, si iidem ho-
stes, quos in armis esse non est dubium,
iterum instabunt et urgebunt nos? Scimus
tunc propitia solere esse nobis numina, si
bene consulendo, et strenue ac fortiter agene-
do, eorum implorantur auxilia, sed in tan-
ta necessitate nihil agendo, quo ipsi ne-
cessitati subveniatur, quid aliud facere de-
beamus quam timere, ego arte non vi-
deo. Attamen non est desperandum de
misericordia Dei, qui vult orari, et emen-
dationem errantium in nobis requirit. Sus-
picio ego maiestatem regiam, auditis his
rebus adversis, non posse tam cito sicuti
speravimus isthinc discedere, donec ali-
quid melius dabit Deus omnipotens, quod
animos nostros anxios et sollicitos, ali-
qua spe futuri boni reficiet, et red-
det pacatiores.

Ceterum quod ad nostram amicitiam
mutu-

1189

mutuamque benevolentiam attinet, vestra
magnificentia id sibi de me firmiter per-
suadeat et polliceatur, ut quacunque par-
te poterit eius honori et commodis operam
ferre, nihil me unquam pretermisurum
esse, idque daturum operam, ut non ver-
bis sed factis amorem meum experiatur.

Iterum autem ago et habeo magnas
gratias vestrae magnificentiae, quod cle-
menter et benigne agere voluerit cum ser-
vitoribus meis, qui utcumque non à pro-
posito sed casu fortuito contra eam et
et servitores eius deliquerunt, ego tamen
faciam cum illis id, quod placitum erit
eidem vestrae magnificentiae, et communi-
bus nostris amicis. Bene valeat magni-
fientia vestra, et me mutuo amet. Da-
tum 1524

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]